



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

§. 14. De restitutione ob violationem hujus septimi præcepti facienda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

Deo intendat, scilicet societatem inire cum mercatore, cum illo de lucro ac damno periclitari; posteaq; perspecto ejusdem mercatoris animo, illi potius quam sibi gratum aliquid prestare cupiens, de capitalis sui ac lucri certi allocatione, abstrahendo semper ab omni usurario affectu, cum illo paciscatur? quis non videat quam lubrica sint ista, & quam dubius, & incertus in ejusmodi angustiis justitiae limes, à quo si vel minimum desectas, in horrendum usurarum, fraudum, & cujusvis injustitiae barathrum delabaris. Deinde quis non perspiciat ejusmodi societatis contractum omnibus aliis contractibus usurariis aditum, non modo patefacere, sed etiam premonere; quamvis non jam mercatori aut industrio viro, sed pauperi & egestati laboranti pecunia mutuo detur; nullus est, qui si ex illo mutuo lucrum, id est usuram accipere velit, obrendere non possit causam lucri cessantis, ac dicere, se ad contractum dictae societatis cum alio mercatore ineundum semper paratum esse.

Tertium deniq; est, quod quamvis ob rationes allatas longè tutius sit, ab his & similibus lucris, & negotiationibus, quae usuram utcumq; redolent, abstinere; si tamen aliquis bona fide, & virorum aliquorum piorum & doctorum consilio fultus praefatos contractus aut alios similes ineat, non ideo precipiti iudicio damnandus, aut à tribunali poenitentiae arcendus est; sed aliquando consultissimum erit, si aliud ei suaderi non possit, illum in bona fide relinquere; ac summodo dispositiones aliae necessariae non desint, illi beneficium absolutionis impertiri, praesertim in ijs casibus, in quibus sine scandalo, aut salutis periculo illi denegari non potest.

§. XIV.

*De restitutione ob violationem huius septimi  
praecepti facienda.*

**R**ESTITUTIONIS nomine intelligitur actus justitiae commutativae, quo res alterius, quae iuste retineri non potest,

potest, eidem restituitur, vel damnum iniuste illatum compensatur. Hanc autem ad salutem esse necessariam constat ex sancto Doctore q. 62 a. 2. & communi Theologorum omnium consensu, quibus suffragatur sanctus Aug. Epist. 54. ad Macedonium, ubi sic loquitur: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non reddatur; penitentia non agitur, sed simulatur; si autem veraciter agitur; non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si (ut dictum est) restitui possit.*

Est autem restitutio ita necessaria, ut non modò non possit absolvi, qui alienum iniuste retinet, nec illud vult restituere; sed etiam (ut rectè docet, & probat Less. cap. 12. dub. 3.) continuè actu peccet toto eo tempore, quo non quidem addendo novum peccatum, sed idem iniustitiæ peccatum continuando, quod ea ratione singulis momentis crescit; tum ratione diuturnioris durationis, tum etiam ratione maioris nocimenti, quod per illam iniustam rei alienæ detentionem diutius continuatam eius domino infert; unde confessarius non modò non debet absolvere illum, qui restituere non vult, cum tenetur & potest; sed etiam illum, qui restituere neglexit, quando commodè potuit; nisi prius actu restituat, aut ita seriò id promittat, ut Confessarius verbis illius fidem meritò adhibere possit; aliàs cum in statu peccati remaneat, incapax est absolutionis.

Ex variis autem & multis quæ circa restitutionis materiam disputari à Theologis solent, nos præcipua, & scitu maximè necessaria seligemus, maioris quæ facilitatis gratia propositis aliquot quaestiunculis explicabimus.

## QVÆSTIVNCVLA I.

*Quisnam restituere teneatur.*

**A**D restitutionem faciendam obligatur primò is, qui iniuste rem alienam accepit, vel qui iniuste alteri damnum intulit, id quod non modò cum per se, sed etiam cum per alios sive directè sive indirectè id præstitit: quod S. Thomas